



1 | 6 | 544







D. O. M. S.

PAULI NEUCRANTZJ, ROSTOCHIENSIS, PHIL: ET MED: D.

IDEA PERFECTI MEDICI

Oratione funebri propoſita,

Cum Maximo *Reipubl: Lubec:* & Clar:[mo] noſtri ſeculi Medico,

DN. JOANNI HENRICO MEIBOMIO,

In Auditorio Lubecenſi publicè parentaret.

Ad Ampl:[mum] Magiſtratum Lubecenſem.




LUBECÆ, Literis Gothofredi Jægeri,
ANNO M. DC. LV.

Σὺν Θεῷ.

PAULUS NEUCRANTZIUS,

ROSTOCHIENSIS,

PHIL: ET MED: D.

Lectori Benevolo S.



Eptem elapsæ septimanæ, cum frequenti comitatu, non sine publico mærore, Reipublicæ nostræ illud singulare ornamentum, JOANNEM MEIBOMIUM*, Archiatrum Lubecensem Clarißimum, terræ mandavimus; ipsis exequias euntibus Musis: quod humaniores literæ, omnesq; bonæ artes, ut de* T. Aristone *olim verebatur* Plinius*, in uno homine summum discrimen adire viderentur.*

Si enim exquisitas animi & summas dotes, quas ne in millesimo quidem doctorum hominum pares reperiemus, sive studia literarum cum lacte materno hausta, posteaq; summâ cum intentione tractata, sive divini ingenii labores literis consignatos; præterea egregias virtutes, quæ animum ejus exornarunt, præclara item merita, quibus tot annos cujusq; nostrûm valetudinis curiosus cives nostros, aliosq; qualiscunq; conditionis sibi devinxit, ad rigidam judicii lancem examinaverimus, quis non, nisi extremi ingenii

aut

aut perfrictæ planè frontis casum hunc mortalitatis & literis, & Reipublicæ, acerbum, omnibus certe bonis lugubrem, fuisse, fatebitur, & tam nobile depositum, extincto tanto doctrinarum lumine, terræ mandatum justo dolore queretur?

Equidem ille expletâ mortalitate, cælo redditus, æterno jam fruitur gaudio, atque immotus cunctis, ut alia in re canit Claudianus,

Casibus ex altâ mortalia despicit arce,

& incluti sui nominis famâ fruitur apud posteros; quam nulla temporis injuria unquam obliterabit, aut ἀχαριστία *cujus cujus inhumani ac feri imminuet & delebit: nostrûm tamen omnium fuerit memoriam eximii viri grato animo versare, & quacunque oblatâ occasione significationem amoris dare; de quo vere mihi dicere liceat ex Boethio:*

Ανδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι,
Sacri hominis corpus virtutes ædificarunt,

nisi si vetera solùm extollimus, recentium incuriosi.

Cumprimis verò mihi allaborandum duco, ne quem hæreditaria, atq; ab utroq; parente transcripta ac intima familiaritas studiorumq; similitudo ipsi conjunctissimum fecerat, primus in leges amicitiæ peccasse, & novissimo ac lugubri parentationis officio defuisse, deferri queam; quamvis in magni atq; excellentis viri

gloriâ asserendâ aut propagandâ, prodendisq; laudibus imparem plane me noverim, nec MEIBOMIUM, *nisi à* MEIBOMIO, *dignè laudari posse censeam.*

Crastino igitur mane, horâ nonâ; quæ inter ordinarias occupationes, aliaq; multa avocamenta, super memoriâ Incluti Viri à me meditata tenui oratione complexus proponam: quod & ipsi MEIBOMIO, *si superaret, aut aliquis mortalitatis sensus ipsum tangat, (cum, authore* C. Tacito, sapientibus cupido gloriæ novissima exuatur, *) non ingratum fore credam; si virtutum suarum maxime conscius, ut qui cum eo familiarißimè atq; amantißimè vixerim, supremum hoc ac triste ministerium sim præstiturus. Quæ res ut piè defuncto honori, & Reipublicæ Lubecensi, quæ tanti nominis virum viginti sex annos liberaliter habuit, gloriæ, vertat, mihi vero feliciter succedat, Ampl:mum & Laudat:mum Magistratum, Clar:mos cujuscunq; professionis Doctores, Reverendos verbi Divini Ministros, Ornat:mos & literarum intelligentes Cives, Studiosos juvenes, omnes omnium ordinum literatos, ut paulo ante nonam in templo Cathariniano frequentes adesse, & ex defuncti annalibus vitam ejus ac res præclare editas enarrantem benignè audire velint, officiosè & peramanter rogo. P.P. Lubecæ* ANNO CIↃ IↃC. *LV. IX. Julii.*

Qui



Qui cælum tuentur, *A. Incluti*, & in augustissimo rerum naturæ amphitheatro admirandam æterni atq; immensi operis structuram, fornices spaciosissimos, nullis libramentis suspensos; præterea alta illa decora, fulgentia sidera, eorumq; naturam, positus atq; affectiones oculis animoq; contemplantur, rem in tota consideratione mundi maximè miram atq; ostento similem, Clarissimum scilicet *Lunæ* jubar, quotiens terra, inter hanc *Solemq;* media facta, umbrâ suâ radios *Solares* interceperit, occultari testantur.

Viros egregios, virtute rerumq; gestarum famâ ac literis clarissimos, qui fulgore suarum virtutum universum orbem occupant, ut merito astris comparare licebit, non minùs, quàm magistrum suum *Epicurum* ipsi *Soli Lucretius:* (quos etiam in futurâ illâ vitâ, si fidem cæteraq; pietatis documenta non exuerint, stellarum instar radiaturos *Sacræ Scripturæ* monumentis relatum;) ita, si fato suo eos defungi, ac naturæ debitum persolvere, terræq; omnium benignæ matris sinu recipi contingat, tri-

ſtem virtutum atq; ſcientiarum eclipſin ſuccedere, videbimus, atq; obumbrari inluſtrem locorum claritudinem, quæ tantis luminibus intra viſcera terræ abſconſis orbata, obſcuram caliginem denſasq; tenebras experiuntur.

Senſit hoc magno malo ſuo *Lubeca* in exceſſu ſummi & ſingularis Viri, JOANNIS HENRICI MEIBOMII, *Archiatri Lubecenſis* incomparabilis, de noſtra Republica literisq; communibus præclariſſimè meriti, cujus corporis exuvias, frequenti in exequiis *Laudatiſſimo Magiſtratu*, non ſine publico literatorum omniumq; bonorum luctu ante 7. ſeptimanas funerandas deduximus. De quo confidenter affirmare auſim, illum omni exemplo elegantioris literaturæ emendatiorem fuiſſe, &(ut perfectâ ſapientiâ virum Princeps eloquentiæ *Romanæ* vidit neminem & virum abſolute bonum, *Phœnici* ſimilem dixit *Seneca*, qui quingenteſimo anno ſemel naſcatur,) medicum omnibus numeris abſolutum aut dari neminem, aut hunc omne punctum laudis tuliſſe.

Equidem immortalis gloriæ fama piè defunctum æternùm comitabitur, & ſi quis locus apud ſeram ac gratam poſteritatem, aut honos ſtudiis erit, nulla oblivio magni hujus viri memoriam delebit;

jactura

jactura tamen, quam civitas nostra experta, non tralatitia est; quod inclutam illam gloriam magnam partem ad se pertinere videat, quæ tot annos eum benignè & liberaliter complexa fovit; nunc tanto hospite ac cive sit cassa, & sollicita publicæ incolumitatis, in hoc uno civium suorum valetudinem laborare vereatur; ut qui exasciatis & saluberrimis ejus consiliis frui amplius non possint, quod S.P.Q. *Abderitanus* de *Democrito* prudenter censebat.

Mæstissima quoq; vidua & suavissimi liberi & & generi quantum & quàm animo conceperint dolorem maximum, luctuosus eorum vultus, & tantum non mærore contabescens, satis ostendit, & cuivis conjicere in proclivi est: cum tanti nominis maritum, patrem & socerum perdiderint, cujus opera & consilio nullo non tempore commodissimè illis uti licebat, nunc cuncta prope decollasse vident: ut plenum humanitatis ac pietatis officium mihi præstiturus videatur, si quis publico damno & privato mærori condolere, & raras MEIBOMII virtutes, quibus eum divina benignitas vivum mactavit, publico elogio celebrare velit; si forsan desideria eorum aliquo modo solari queat. Cum alias recepto tot seculorum more cani ac memorari fortia facta magnorum virorum, quæ vivi fortes edidere,

dere, etiam apud barbaras gentes uſu confirmatum ſciam; nec quid ſanctius habeat reverentia ſuperſtitum, quàm ut amiſſos venerabiliter recordetur. An quia unà cum corporibus non exſtinguuntur magnorum virorum animæ, atq;, ut creditum fuit,

——generoſam venit ad umbram
Mortis honos?

Quod ſi *Silii Italici* authoritas æſtimanda nobis erit,

Dulce etiam venit ad manes, cum gloria vitæ
Durat apud ſuperos, nec edunt oblivia laudem.

Unde mortuis tam religioſa jura tributa, &, quorum omnis vita conſumpta in laboribus glorioſis, eorum poſteritati datum, ut quomodo exequiis à promiſcuâ ſepulturâ ſeparantur; ita in traditione ſupremorum accipiant habeantq; propriam memoriam: quæ & poſterorum ingenia excitare, & ad quævis laudum imitamenta & facinora exemplô majorum fortiter patranda invitare ſolet.

Laudari quidem à laudato viro gaudebat *Nævianus* ille *Hector*, & felicem cenſebat *Achillem Alexander*, à rerum geſtarũ claritate *Magni* cognomen meritus, quod laudum ſuarum præconem *Homerum* nactus eſſet: qui etiam propterea edicto cavit, ne quis ipſum præter *Apellem* pingeret: qui & à *Pyrgotele* ſolo ſculpi, nec ab alio, quàm *Lyſippo* ex

ære

ęre duci, volebat. At ſi meo me pede metior, ingenuè profiteor, nec tantum in me ingenii eſſe, nec queſtubus ægrorum exercitum, ac dudum à bonis literis abſentem, dignum quid tanto Reipublicæ literariæ Heroe, operâ præſertim ſubciſivâ, commentari potuiſſe: cum arduum eſſe ſciam in tantâ varietate judiciorum in dicendo ſervare temperamentum: quòd, ſi parcè decora laudum attingam, liventi, ſi profuſius merita commendem, obnoxio aut adulanti ſimilis videri poſſim.

Mutuus tamen, &, qui inter vivos erat, tenerrimus amor, tum plurimorum beneficiorũ cumulus in me congeſtus imperavit mihi, ut triſte atq; acerbum munus in me ſuſciperem, & præſenti, quamvis ſoloci filô ductâ oratione vitam laudesq; neceſſarii mei perſequerer: quod vitio mihi dari non poſſe credam, ſi vel occupatiſſimus, ac parum diſertus, certe minimè eloquens dicendi partes mihi vendicaverim; quod ſumma familiaritas eorundemq; ſtudiorũ profeſſio, ſi non marmore, auro, ſolidove metallo, MEIBOMIUM penitus exprimere, at ſaltem levi penicillo tenuiq; oratiuncula adumbrare queat, & ne, extincto beneficiorum authore, intercidiſſe ſimul apud me meritorum gratiam quis ſuſpicetur.

Adeſte quæſo *A. Incluti*, animis auribusq; præſentibus, &, qui vivum MEIBOMIUM impendiò amaſtis, defuncto jam mortalitatis caſu noviſſimum honorem concedite, mihi ſingularem gratiam, & ingentis Viri virtutes vitamq; actam enarrantem citra faſtidium aut præjudicium benignè auſcultate.

Natum recens infantem MEIBOMIUM Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo, 27. *Auguſti*, blando vultu ac molli ſinu excepit fovitq;

Julias, in totô notiſſima Julias orbe:

ut ad natalitia Inluſtris Viri conſecranda ipſa loci ratio conſpiraſſe videatur: quæ ſæpe non parva invitamenta ad virtutem præſtat; ut contra aer craſſus, denſus, nebuloſus, aciem ingenii obtundere atq; hebetare ſolet: unde & *Bœotia* olim malè audiit, & auris *Batava* eandē ob rem *Martiali* infamis: quamvis experientiæ documentis conſtet, ſi ſtudium, ſi cultura felicis ingenii acceſſerit,

Magnos poſſe viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patriâ craſſoq; ſub aere naſci,

ut de maximo ſui ſeculi Philoſopho, *Democrito*, Poetâ refert, quem *Thracem*, *Bionem Boryſthenitem*, *Zamolxin Getam* fuiſſe hiſtoriæ prodiderunt.

Illud

Illud ut compertum, & summi Præceptoris testimonio comprobatum, referre placet, temperamenta moresq; hominum alia montosis, silvosis, & aquâ carentibus, alia palustribus & aquosis, alia planis, suis quæq; locis ingenia, conformari: unde idem *Asiaticos* molles, effœminatos, laborum impatientes, contra *Europæos* audaces, strenuos, laborum tolerantissimos dixit:

——— Certè populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis, & ignavum est reditur æ parcere vitæ.

Parentes habuit noster eximios, ut ex ipsius sapientiæ stirpe generatus videatur: Patrem HENRICUM MEIBOMIUM, quadraginta duos annos Professorem in *Academiâ Juliâ* longè latèq; clarissimum, Historicum, Poetam & Philologum in paucis hoc ævo comparandum: Matrem *Sophiam Bökeliam* *Davidis Bökelii*, Medici & Protochirurgi *Divi Julii*, *Ducis Brunsuicensis* filiam, fœminam lectissimam. Avum MARTINUM MEIBOMIUM, scholæ *Lemgovianæ* primùm per sexennium Rectorem, deinde *Alverdissensem* in comitatu *Lippiaco* Pastorem: Aviam *Annam Dreieram*, filiam Doctoris *Johannis*

Dreieri, *Theologi* ſuo tempore eximii, qui bonam partem Eccleſiarum *VVeſtphalicarum* à Pontificio fermento liberavit, primùm *Hervordiæ Superintendens*, poſtmodò *Mindæ*, ubi & vivendi finem fecit. De quo ut memorandum hoc loco referre placet, patrem ejus, Senatorem *Lemgovienſem* ſpectabilem, ad annum ætatis ſupra centeſimum vigeſimum perveniſſe, & fratres duos ſacris initiatos fuiſſe, *Franciſcum, SS. Theologiæ Licentiatum* & *Hermannum Theologiæ & Decretorum Doctorem*, per *Saxoniam, Thuringiam* & *VVeſtphaliam*, ut vocant, *Provincialem*, Virum magnum & doctum, & *Chronicis Oldenburgenſibus* atq; inter inluſtres *VVeſtphaliæ* viros celebratum.

His Clariſſimis majoribus ortus noſter literarum ſcientiam quaſi hæreditario jure aut teſtamento tranſcriptam accepiſſe dici poterat: certè, ſcintillulas divinæ mentis ſimul traductas nemo inficiabitur, quibus excitatus indefeſſo ſtudio ſibi veram gloriam paraverit. Gloria quidem parentum natis præclarus eſt magnificusq; theſaurus; ita tamen, ut indecorum exiſtimet *Plato*, non ob propriam virtutem, ſed ob merita famamq; parentum honorari: adeo

———*miſerum eſt alienæ incumbere famæ:*

Non

Non tamen quis humili loco natus præreptam ſibi ad virtutes & honores occaſionem exiſtimet: ſubſilire enim, authore *Seneca*, in cælum ex angulo licebit. *Socrates Sophroniſco* patre, lapidario, matre *Phænaretâ* natus; *Bion Boryſthenites*, ignobili loco ortus. *Theophraſtus Ereſius* fullonis erat filius: qui tamen omnes famam nominis immortalitati conſecrarunt. Sæpe etiam peſſimorum parentum liberi detersâ per virtutes ignominiæ maculâ eluctati fuere. *Siſyphi*, *Antolyci* & *Phlegyæ* poſteri gloriâ & virtute inter magnos Reges floruere. *Pericles Athenis* natus è ſceleratâ familiâ, *Pompejus Magnus* patrem *Strabonem* habuit, cujus cadaver *Populus Romanus* odiô victus dejecit & pedibus calcavit. Eximium tamen, meô judicio, & ſingulare benignitatis Divinæ argumentum eſt, inluſtri, aut certè honeſtô, locô natum eſſe: quod

Non facile emergant, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. Imò,

Generoſa in ortus ſemina exurgunt ſuos:

Et, ut Lyricæ Princeps memorat,

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis, patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Invitat me hic locus pro re & tempore studiosos juvenes, quos natalium splendor præ aliis magnificare voluit, ad capessenda studia virtutemq; amplexandam ex tragœdô compellare.

Agite, ô propago clara, generosam indolem
Probate factis, gloriam ac laudes Patrum
Superate, & aliquid facite, propter quod Patres
Adhuc juvet vixisse, facietis scio,
Sic est orti.

Sed ut, quo digressus, redeam: Optimi parentes nihil prius habuerunt, quàm ut modò natum filiolum suum horrendis Protoplastarum nostrorum delictis imbubinatum, sacro baptismatis lavacro, non face ac sulphure, aut squillis, quæ vetus ethnicorum in expiando superstitio fuit, lustrarent, & tam nobile depositum Deo rursum consecrarent. Qua in re memoratu dignum occurrit, *Joannem Caselium*, virum famâ meritisq; in rem literariam inclutum, suscepisse nostrum ex sacro baptismate, & suam interposuisse fidem, ac preces sinceræ pietatis ac cultus, quo Divinam Majestatem toto vitæ decursu veneraturus esset noster, & augurium quasi lætum dedisse, pro filiolum suum pressurum vestigia *Caseliana* & gloria literarum non minus fore inlustrem.

Porro

Porrò officiosissima mater, anxia tam charæ sobolis, quanto amore, studio atq; cura prosecuta filiolum suum! quàm ardentissimis precibus, neq; irritis votis Deo eundem commendavit! tum præcipue, ubi ad somnum compositura cunas agitaret, aut lactandum uberibus admoveret, & vix balbutientem sacras precatiunculas doceret: ut cum lacte materno ipsam pietatem simul hausisse sit credendum. Neq; enim, obliteratis nativæ pietatis elementis, debitum lactandi officium filiolo suo denegare delicatula voluit, cæteroquin pejor futura bestiis, quæ fœtus suos non minore curâ alunt, quàm olim ὀργασμῷ concepere; pudendo quarundã matrum vitio, quæ vinculum illud coagulumq; animi & amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt, & impurissimis scortis charissima pignora conjugii permittunt, nesciæ stolidæ liberos spiritum ducere in animum & in corpus suum ex corpore & animo deterrimo; instillari simul semina nequitiæ, & cum pravo lacte corruptos mores ingenerari: quemadmodum hirtam lanam agnis caprillo lacte nutritis succrescere, contra vero hædis ex ovillo lacte pilos tenerescere, videmus.

Ipse pater maximus arbiter ingeniorum, & erudiendæ juventuti non factus, sed natus, cum vi-

vidi

vidi & flagrantis ingenii ſcintillulas jam micare videret, Muſis initiandum noſtrum infantem penè tradidit. Semina enim in corporibus humanis divina diſperſa ſunt, quæ, ſi bonus cultor acceſſerit, ſimilia origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgunt: ſi malus, non aliter quam humus ſterilis ac paluſtris, necat ac deinde creat purgamenta pro frugibus. Ita *Hippocrates* noſter, *Soranus Epheſiſius*, in futuro medico, *Plutarchus* quamcunq; diſciplinam capeſſente, naturæ promptitudinem & acumen ingenii requirunt, non aliter ac bonus fundus ſementem facturo neceſſarius eſt: φύσιος γὰρ ἀντιπραττούσης κενεὰ πάντα, ut loquitur ſummus Præceptor. Quamvis nec illum contemnendum cenſeam, qui malignitatem ſuæ naturæ vicit, & ſe ad ſapientiam non perduxit, ſed extraxit, ut in *Cleanthe Phanii* filio ejus rei exemplum eſt, quem cereis tabulis comparare *Zeno* ſolebat, quibus difficilius inſcriberentur literæ, ſed quæ eas ægrius deleri paterentur.

Παιδομαθίην quoq; requirebat medicinæ parens, quod artem medicam longam, vitam humanam brevem, nec compendiaria via vaſtiſſimum medicinæ ambitum abſolvi ſciret: ὅκως ἡ μάθησις ἐμφυσιωθεῖσα δεξιῶς καὶ εὐαλδέως τοὺς καρποὺς ἐξενέγκηται: adeo ſcilicet

à teneris

à teneris assuescere multum est.

quod ingenia illa ætate inexpleta bibant rorem sapientiæ, & cerea facilè formentur, ac commissa fideliter conservent, ut Principis Poetarum verba huc meritò commodare queam:

Tu modò, quos in spem statues summittere gentis,
Præcipuum jam inde à teneris impende laborem.

Porrò quantâ sollicitudine quęsit⁹ nostro pueritiæ erudiendæ ac formandæ magister, non ex trivio, lupanari, popinis, caupona, extractus, nec qui meliorem ætatem inerti otio traduxerat, sed spectatæ morum elegantiæ atq; eruditionis laudatæ: ne scitissimus puer pravis exemplis magistri ad errorum avia transvorsum ageretur, neu sub ignavò præceptore nihil agendo pueritia MEIBOMII adolesceret.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva fruticibus,
Falce rubos filicemq; resecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.

Quantum enim industria coloni agrorũ fertilitati conferre potest; tantum etiam fidelis ac gnavus magister omni doctrinarum genere fœcundandis, morumq; venustate ornandis, puerorum ingeniis proficiet, si subnascentes vitiorum vepres ex animis ex-

 scindere,

ſcindere, exemplo monſtrante viam mores emendare, impigro exercitio ſocordiã excitare, omnisq; virtutis & diſciplinæ electiſſima quæq; ſemina animis tenellis mandare allaboret.

Exquiſitiſſima vero cura peragebatur diſciplina ſub *Joanne Godekenio*, poſtmodum *Aulæ Groningenſi D. Julii à ſacris concionibus*, & *Joanne Freitagio*, primum *Academiæ Juliæ Profeſſore*, hinc *Oſnabrugenſium Epiſcopi* & *Comitum Teclaburgenſium* medico aulico, & tandem *Academiæ Groningenſis Profeſſore*: qui ita *MEIBOMII* noſtri concinnarunt ingenium, ut anno ætatis tertio decimo lectiones publicas adire cœperit, teſtatus exemplo ſuo, illud *Flavii Vopiſci* verum eſſe: neminem unquam perveniſſe ad virtutum ſummam jam maturum, niſi qui puer ſeminario virtutum generoſiore concretus aliquid inclutum deſignaſſet.

Academiæ patriæ, i. e. liberiori vitæ, traditus non vino aut voluptatibus ſe mancipavit, aut otio lætiſſimam adoleſcentiam traduxit; ſed flagrantisſimus amore diſcendi, quamvis omnis politioris literaturæ, vitæq; per virtutes actæ, exemplar toto die ſibi propoſitum, Parentẽ, domi haberet, publicos Profeſſores diligentiſſimè audivit, viros undiquaq; doctiſſimos & celeberrimos: quorum inſtitu-

tione

tione ita penum eruditionis ſuę locupletavit, ut brevi, quantum profeciſſet, ſub *Georgio Calixto*, poſtea Profeſſore, & magni nominis Theologo, publicâ diſputatione teſtaretur: quo cum viro amicitiam coluit in extremam uſq; ſenectutem fidam & incorruptam. Totus autem in ſtudiis literarum bonarũq; artium MEIBOMIUS erat, nec dies continuandis ſtudiis ſufficiebant, partem etiam noctium iisdem impendebat, ne floridam ætatem, ac tempora diſcendi inerti otio conſumeret: cum ad ſolidam eruditionem parandam divina benignitate ſibi cuncta conſpirare videret, gnarus, ſtudiorum amaras radices, fructus dulciſſimos, & eruditionem inter proſpera emolumento fore, inter adverſa refugium concedere. Et profecto hæ artes à maximô bonô liberales dictæ, quod animum vitiorum mancipio & erroribus vindicent & liberent, ſeveriora ſtudia tractanti maximè utiles & neceſſariæ: quarum ſcientia etiam aliud agentes nos ornat, atq;, ubi minime credas, eminet & excellit: quæ etiam noſtro plurimum gloriæ atq; exiſtimationis conciliavere: quod iis tanquam exquiſitiſſimis condimentis uteretur, ſeu ingenii monumenta in publicum proferret, ſeu conſultando ægrotantium ſaluti prodeſſe cuperet, ſeu in familiari converſatione doctis, politis atq;

 amœniſſi-

10

amœnissimis sermonibus præsentes oblectaret, aut occasiones ac tempora bibendi falleret.

Maximos in his studiis fecerat progressus, ut, si ratio temporis atq; privatæ fortunæ ita tulisset, quamcunq; disciplinarum publicè profiteri ac docere cum laude potuisset. Quantus erat in *Græcis*, quantus in *Latinis* literis, in quibus præceptorem habuerat, Phœnicem Germaniæ, ut noster loquitur, *Johannem Caselium*! Quàm ille scitissimis & quæsitissimis verbis scripta sua, quæ publici juris prostant, aut adhuc in certum tempus condita servantur, ornare solebat. Neq; enim jejuna atq; arida esse debent, quæ de rebus magnis dicuntur & scribuntur, quod nec medicina ingenio renunciet. Ipsæ hæ literæ, dum summam sapientiam consignatam habent, ne quis verborum ambitus solùm me in illis mirari arbitretur, animum hujus ita virtutibus exaggerarũt: ut non modo res dubias & obscuras exquisitè penetraret & cognosceret, sed & earum eventus prudens futuri arbiter divinaret, & consilio præsentissimo pro re ac tempore auxiliari nosset.

De poesi nil dicam, quam inclinatione quadam naturali & hæreditariâ quasi quadam possessione à Parente, Poetâ nulli nostro ævo secundo, accepisse, sed cum ea solertiam multamq; exercitationem

con-

contendiſſe, videri poterat. Teſtantur plurima carmina honori magnatum aut amicorum conſecrata; quàm illa reconditam eruditionem omnemq; venerem ac gratiam poeticam ſpirent: inter quæ memorandum occurrit Epicedium, *Divo* JOHANNI, *Epiſcopo Lubecenſi,* Mæcenati ſuo, literatorumq; munificentiſſimo, Principi omni meâ laude majori, defectis jam viribus, tremulâ manu, à noſtro ſcriptum, cum jam fatali lecto affixus hæreret, & principia peremptorii morbi ſe oppidò proferrent.

In Logica quoq; & Metaphyſica, quæ cum omnibus ſcientiis, teſte ſummo Philoſophorum, communicant, quas & cuivis docto, maximè vero profeſſorio homini admodum neceſſarias ſciebat, expeditiſſimum fuiſſe memini. Sic *Cornelius Martini,* Philoſophus Inluſtris, reſeratis adytis ſecretioribus harum diſciplinarum acerrimam noſtri mentem exercuerat. Nec minus Rhetoricam MEIBOMIUM calluiſſe conſtat, ut de omni quæſtione pulchrè, & ornatè & ad perſuadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium poſſet, etſi in Rhetorum ſcholis declamationibus linguam & vocem non exerceret: Græci Latiniq; elegantioris ſermonis ſtudium ad hanc diſciplinam eum provocabat.

Historias, & res præclare gestas Græcorum, Latinorum aliorumq; populorū, instinctu quasi quodam naturali, quod Parentem Historicum haberet in primis celebrem, studiosè legit: quæ, ut rerum Romanarum ab urbe conditâ florentissimus Author monet, illud præcipue salubre & frugiferum habent: omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi tuæq; Reipublicæ, quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.

Mathematum cognitionem non tralatitiam sub Schapero hausit: quam demonstrandis quibusdam propositionibus medicis utilem, excitando & poliendo ingenio aptam Galenus docuit: cum primis vero Astronomiam non modò intelligendis medicorum scriptis, sed & medicinam facturo ex præcepto summi Præceptoris necessariam, admodum commendatam sibi habuit: qui insignes temporum mutationes, utraq; solstitia, maximè æstivum, & ex æquinoctiis autumnale, observari mandaverat: quod iisdem purgari corpora, partesq; circa ventrem uri aut secari ante dies decem factu inconsultum judicaret: quemadmodum & siderum ortus, ut *Caniculæ*, *Arcturi*, & *Vergiliarum* occasus observari voluit: quod his ferè diebus morbi crisin

experian-

experiantur, aut in aliam formam ſtatumq; fere mutentur.

Naturalis philoſophiæ ſcientiam, ut decoram viro erudito, quod, ut ſuadę medulla ait, animorum ingeniorumq; naturale quoddam quaſi pabulum cognitio contemplatioq; naturæ afferat; ita maximè neceſſariam medico non niſi cum vitâ depoſuit: quod hujus principiis innixa medicina latiſſimè ſe diffundat: ut niſi in horum plenam poſſeſſionem quis venerit, fruſtra ſit futurꝰ omnis philiatri labor, & nobiliſſima artium tali caſſa fundamento corruet, aut certe vacillabit.

Politicæ arcana electiſſimis authoribus inſtructus penetraverat, cunctarum diſciplinarum ambitum & encyclopædiam animo ſuo recepturus; & quod ſe mundanum cum *Diogene*, ac in medio rerum & hominum vitam agentem jura atq; adminiſtrationem ſuæ civitatis ignorare indecorum, ſciret: qui dum regnorum ac rerum publicarum hiſtorias animo ſuo complectitur, eundem & gubernandi rationem ſimul comprehendiſſe, quis dubitet? Quemadmodum & Theologiæ, & Jurisprudentiæ non perfunctoriam cognitionem habuiſſe docti ſermones de rebus graviſſimis ſæpius habiti teſtantur.

Nec

Nec minor nostro cura fuit, ut, cum abstersâ inscitiæ rubigine animum plurimarum rerum scientiâ indnisset, eundem vitiorum quoq; sentibus purgaret, erroribus vindicaret, & ad honestè benèq; vivendum adduceret, atq; adversus cupidiates immensas, sollicitudines inanes, cunctaq; fortuita obduraret.

His positis literarum ac disciplinarum fundamentis facilis & prosper ad medicinam transitus nostro fuit: quò sponte sua, non tamen sine consilio prudentissimi Parentis inclinaverat: quod doctoris sit intelligentis videre, quò ferat sua natura quemq;, & eâ duce utentem sic instituere. Cum enim constet, ὀυ πάντα πάντων εἶναι, consultum fuerit Pythicæ obtemperantem inscriptioni ἀυτὸν καταμαθεῖν, atq; uti suo ingenio, quò natura inclinare videtur, neq; ad ad alius vitæ studium trahendo huic vim facere. Ut enim corporum magnæ reperiuntur differentiæ, quod alia valida, & athletico habitu, luctam sustinere queant, alia cursus celeritate præstent, & formarum quædam venustate, quædam gravitate se commendent; sic & animorum varia studia sunt atq; inclinationes, quibus operari pro sua quisq; natura studebit, ne invitis, quod aiunt,

canibus

canibus venari, propriæq; naturæ vim inferre conetur.

Cum igitur medico studio noster se totum dedisset, & eâ in re fortuna melior subscripsit votis, & præceptores concessit medicos, omni scientiarum genere Clarissimos, *Duncanum Liddelium*, *Arnisæum*, *VVolffium*, *Luchtenium*: quos, primô jam ad plures evocatô, accitus ad professoriam dignitatem collegas habuit postea sui amantissimos.

Adoleverat jam noster MEIBOMIUS, & sub *VVolffio* profectus sui in medicinâ publica specimina ostenderat: qua de re Parens, excitus famâ *Danielis Sennerti*, Principis sua ætate *Germaniæ* medicorum, & de re medica apprime meriti, continuandorum studiorum *VVitebergam* eum ablegandum duxit: apud quem etiam biennium commoratus, & laboribus Chemicis exercitus, operam navabat sedulam: quod non modò loci ratio exempla æmulandi atq; industriæ daret, ipsaq; artis amœnissimæ pulchritudo ad se cognoscendam invitaret; sed & eximius Præceptor morari hujus tẽpora nollet, ac, qua posset ratione, tantæ expectationis juveni prodesse vellet; noster vero quasi astro quodam inclinante in amorem studiorum magis ac magis ageretur, nec præcipitem occasionem inertiâ præterlabi sineret, tem-

 poris

poris jacturam pretiosissimam ratus: quod omnia aliena, tempus tantum nostrum sit. In hujus unius rei fugacis ac lubricæ possessionem naturam nos misisse, arbitrabatur, ex qua nulla nos corporis voluptas, nulla animi segnities, nulla molestia expellere debeat. Cæterum in medio cursu studiorum quartanâ gravissimâ, quæ tum epidemia erat, correptus, cum nec quicquam medicina in contumacissimo morbo proficeret, consiliô *Sennerti* solum vertere, aerisq; mutandi *Lipsiam* concedere coactus: sed cum nec illic morbus mitesceret, ægerq; jam duplici quartana conflictaretur, revocatus domum, vix exacto tertio quadrante anni tam gravi morbo fuit eluctatus.

Humiles & plebeiæ mentes, *Auditores Incluti*, in obscuro domi latent, & torpidæ uni glebæ semper affixæ hærent: ætheriæ vero atq; inlustres animæ cælum imitantur, & perpetuo gaudent motu. Sic *Democritum* magni nominis philosophum lustratâ *Perside*, *Arabiâ*, *Æthiopiâ*, *Ægyptô*, summam scientiam sibi comparasse; idemq; *Pythagoram* clarum sapientiâ fecisse, ferunt. *Galenus* noscendorum medicamentorum studio *Lemnum*, *Cyprum* & *Syriam* adiit. *Ciceroni* non satis erat apud *D. Mucium* jus civile didicisse, apud *Philonem Academicum*,

micum, apud *Diodorum Stoicum* philoſophiæ partes penitus hauſiſſe, *Achajam* quoq; & *Aſiam* peragraſſe dicitur, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Pariter & noſtrum inexpletus amor diſcendi occupaverat, ut nondum deſiderio ſuo ſatisfactum crederet, niſi & alios alibi doctores audiviſſet. Ut enim apes, providum natura animal, non uno florum genere contentæ, melleum rorem undiq; legunt, & futuræ neceſſitati in alvearia condunt: ita & noſtro obſtinatum erat, ad alias viſere terras, & quicquid ibi eximium, rarum ac memorabile occurreret, in animum condere, in tempore & re profuturum; maxime vero doctorum virorum amicitiam ſibi comparare: quòd, niſi doctior, ab illis nunquam eſſet receſſurus.

Vix inveterato iſto morbo MEIBOMIUS convaluerat, dum ſe itineri accingit, *Jenæ Gryphiandrum* compellat; inde *Norimbergam* ſe conferens humaniter exceptus à *Georgio Remo*, JCto & Reipublicæ ejusdem Conſiliario Clar:^mo^, amico paterno: qui omni officiorum genere eum dum afficit, pene in ruborem dedit. Salutavit & *Philippum Camerarium*, admodum ſenem, ſed firmâ adhuc valetudine. Inde *Altorfium* excurrens *Virdungo*, *Piccarto* innotuit, ut & *Hoffmanno*, ingeniô & do-

ctrinâ medico & philoſopho celeberrimo: cum quo neceſſitudinem inchoatam per literas poſtmodò in *Italiâ*, *Helmæſtadi* & *Lubecæ* continuavit & ſtabilivit. Jam in procinctu noſter erat *Auguſtâ Vindelicorum* maturare iter in *Italiam*; ſed quia tum grave bellum in Iſtriâ *Ferdinando* Archi Duci, poſtea Imperatori, cum Venetis erat, & loca, per quæ tranſeundum foret, præſidiario milite tenerentur, conſilium mutare, atq; *Argentoratum*, nobile doctrinarum domicilium, petere decrevit, ne ſic quidem malo conſilii ſucceſſu: quod medicos eximios; *Rudolphum Saltzmannum*, *Agerium* & *Melchiorem Sebizium*, illic offenderet, quibus uſus per quàm familiariter; cumprimis vero *Caſparo VVeckerlino* Medico & Botanico egregio, & Ampl.mi noſocomii ibidem præfecto: cujus hoſpitio uſus, & viſitandis ægrotis lateri continuus adhærens, quæ hactenus literis tradita legerat, multis & raris experientiæ documentis confirmavit.

Exactô illic ſemeſtri, primô vere, cum jam expedito intinere anguſtias alpium penetrare liceret, in *Italiam* contendit, conſummaturus illic ſtudia: quod illud Lyceum toto orbe famigeratiſſimum eſſet: cui nihil in quovis diſciplinarum genere,

quod

quod studiosæ juventuti conducere posset, deesse *Serenissima Respublica Veneta* voluit. Sive enim exercitia anatomica & casus chirurgicos insignes & varios, hortumq; medicum herbarum & plantarum numero nulli secundum, sive medicinam theoricam, *Græcorum*, *Arabum*, *Latinorum* veterum & recentium medicorum scriptis erutam, sive ipsam praxin & exempla medendi, ubi alieno periculo, ductu & auspiciis maximorum virorum, addiscere datur, quæ in tempore & loco securè imitari liceat, quis æquâ animi lance expenderit, nullam in universo mundo magis commodam occasionem cuncta illa cognoscendi, nec magistros aut magis officiosos, aut expertos, omnes certe eruditionis ac nominis fama gloriosos, reperiet. Agmen inter hos ducebant, adhuc meo tempore superstites, *Cæsar Cremoninus*, primę sedis philosophus, Nationis Germanicæ Medicorum Protector, brabeuterii peregrinorum, qui juramento Pontificiæ religioni se obstringi nolunt, Præses, *Jesuiticâ* factione territorio *Veneto* pulsâ Orator olim ad *Pontificem Romanum* missus, itemq; *Fortunius Licetus*, pulcherrimis scriptis editis celeberrimus: quos sedulo audivit docentes, doctus ab *Hippocrate* ἰητρὸν φιλόσοφον ἰσόθεον dici, nec citra jacturam bonæ existimationis philosophiæ

tractationem, niſi cum vita, à doctis medicis penitus deponi.

Præceptores illic in medicinâ habuit MEIBOMIUS *Hieronymum Fabricium* ab *Aquapendente*, *Adrianum Spigelium*, *Bruxellenſem*, Chirurgos & Anatomicos ſummos, *Sylvaticum*, *Salam*, *Fonſecam*, *Joannem Prevotium*, Horto Medico tum Præfectum, primo loco poſtmodò medicinæ Profeſſorem, Virũ ſummum, quo cum initam familiaritatem patriæ redditus ſincere coluit: cui & me plurimum debere, multumq; ſub eo profeciſſe ingenuè profiteor. Audiit & *Joannem* à *Colle*, *Andregetium*, omnes medicos inſignes, qui dignitatem ſuæ profeſſionis magna cum fama ſuſtinebant: quos etiam ad ægros ſedulò comitabatur, ut quæ ab ipſis Doctoribus tradita, aut diligenti lectione memoriæ mandata habebat, exemplis, quæ ad magnas res percipiendas admodum neceſſaria judicabat *Plato*, porrò confirmaret, pariterq; alieno periculo medicinam facere addiſceret: cum omni in re, ut monebat *Galenus*, τεχνωθῆναι, poſtea aggredi artis opera, oporteat, ne per mortes, ut loquebatur *Plinius*, experimenta agere medici deferantur.

Quid mirum, Auditores Honoratiſſimi, ſub tantis præceptoribus exquiſitam omnis ſcientiæ

cogni-

cognitionem MEIBOMIO obtigisse, facilemq; atq; expeditam praxin evenisse, cum se non somno, inertiæ atq; otio traderet, aut vino divini ingenii vigorem obrueret, aut Venere, quæ ne quidem inter res turpes illic, aut illicitas, habetur, exhaustus aut voluptate confectus marcesceret?

Luxuries, prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membraq; Circæis effœminat acrius herbis;
Blanda quidem vultu; sed qua non tetrior ulla
Interius fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, torvos auro circumligat hydros:
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

Voluptates certè blandissimæ Dominæ sæpe majores partes animæ à natura detorquent, & plurimum ad extinguendum animorum vigorem possunt: ut in tot præliorum victore exercitu suo ad *Capuam Hannibal* expertus, & de *Gallogræcis Livius* eloquentiæ ac fidei præclarus testatus. *Circe*, A. voluptas est, quæ dum jucundo motu sensus titillat, veneficio quasi quodam inficit, bestiisq; simillimos suos clientes reddit, &, si major sit, atq; longior, *Archytæ Tarentini*, magni in primis & præclari viri sententia, omne animi lumen exstinguit.

Vos 16

——*Vos ô quibus integer ævi*
Sanguis adeſt, ſolidæq; ſuo ſtant robore vires,
circumſpicite paulò curatius venereos nepotulos aliosq; voluptarios, caneſcere tales ante annos atq; effœtis viribus properare ſua fata videbitis, & quàm illos vix dum viros factos cruda ſenectus occupet, marcidos & rebus gerundis cætera ineptos. At noſtro MEIBOMIO longe alia mens, alius animus: noverat voluptate nullam capitaliorem peſtem eſſe, atq; ingenium, quod ſibi natura dederat eximium, deſidiâ hebeſcere, mucoremq; contrahere, non aliter, ac ferrum rubiginem. Namq; ut ferrum,
——*dum tranſit in uſus,*
Aßiduo ſplendore micat, vultuq; nitenti
Audet ad argenti decus adſpirare ſuperbum:
ſic & ſtudiis aſſiduis abſtergeri ſitum ingeniorum ſplendoremq; cæleſtem accipere animos humanos, ac ſe ipſis inluſtriores reddi certum. Corpora quidem defatigatione ingraveſcere, ſenſusq; ab objecto improportionato lædi; at animum exercitando levari potius atq; ſublimiori intelligibili propoſito illuſtrari magis, faciliusq; inferiora percipere, philoſophorum decretis conſtat: cum non aliter, atq; aſpectus rerum à circumfuſo aere lumen, à diſciplinis ſplendorem mutuetur.

Patavio

Patavio cætera *Italiæ* celebriora loca MEIBOMIUS lustraturus *Ferrariam* abiit, inde *Bononiam*, matrem illam studiorum, ubi *Vlyssem Aldrovandum*, summum naturæ animalium interpretem allocutus, & *Florentiam* pulcherrimam *Europæ*, & urbium *Hetruriæ* principem, se contulit. Quin

Et flavum vidit Tyberim Romæq; cadaver,
Spirantesq; aliquid tristes immane ruinas.

Salutavit illic *Fabrum*, *Prosperum Martianum*, scriptis in *Hippocratem* commentariis nobilem, *Neapoli Fabium Columnam*, à quô multa sibi beneficia collata sæpe memoravit, item *Ferdinandum Imperatum*, aliosq;, quos *Neapolis* aut *Roma* tum præcipuè admirata. *Mediolani*, nam ingens spatium terrarum transilire cogor, quòd festinare angustia temporis jubeat, *Septalium* Patritium & Medicum insignem, & scriptis admodum inlustrem, compellavit. Ornatissimi Juvenes,

Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via.

Hæc sit vobis peregrinaturis meta proposita, non otio, libidini, aut luxuriæ, datâ liberioris vitæ potestate, vos dedere, non exoticos assumere mores, ob quam rem peregrinari olim *Lacedæmonii* prohibiti, & inania ceremoniarum domum reportare, non

populorum habitus atq; vestimenta assumere; non exploratos modò habere urbium ac regionum situs; sed & si quid ex ultimâ antiquitate superet, literis traditum ac visu dignum, cognoscere: si quid fœdum, rude atq; asperum, animo insedit, expolire atq; exasciare: si quid vobis patriæq; vestræ egregio aliquando esse possit, addiscere: quod non nisi accuratissimâ vivendi normâ, studiis indefessis, & frequenti conversatione & familiaritate cum viris eximiis obtinebitis.

Nulla enim res, judicio *Senecæ*, magis animo honesta induit, dubiosq; & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio. Paulatim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus me hercule ipse sapientium juvat, & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficiatis. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audivisset, vitæ ejus interfuit: *Plato* & *Aristoteles* & omnis in diversum itura sapientium turba plus ex moribꝰ quam ex verbis *Socratis* traxit. Animum debetis mutare non cœlum: licet vastum trajeceritis mare: licet, ut ait *Vergilius*,

——*terræq; urbesq; recedant:*

sequentur vos, quocunq; perveneritis vitia. Hoc

idem

36

idem cuidam querenti *Socrates* apud *Senecam* ait: Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas? Premit te eadem caussa, quæ expulit. Quid terrarum juvare novitas potest, quid cogitatio urbium aut locorum? in irritum cedit ista jactatio. Quæris quare te fuga ista non adjuvet? tecum fugis. Onus animi deponendum est, non ante tibi placebit ullus locus.

Redux Italiâ MEIBOMIUS *Basileam* venit, insignem tunc præclaris Medicis, *Bauhino*, *Platero*, *Stupano*, *Chmilecio*, qui tum Academiam illam eruditionis suæ radiis illustrabant, ut à viris præcipuæ dignationis exantlatorum hactenus laborum præmium acciperet: à quibus etiam Anno CIↃ IↃCXIX. XIII. Januarii Doctor Medicinæ renunciatus.

Vix domum noster reversus erat, cum ab Illmo Principe, Duce Brunsuicensi, in numerum Professorum Medicinæ allegeretur, consilii illius authoribus cæteris ejusdem facultatis Doctoribus: quod eximium hunc virum Academiæ Juliæ magno ornamento fore, ejusq; animum omni scientiarum genere non leviter tinctum, sed penitus imbutum, otiiq; indignantissimum viderent. Et profecto MEIBOMIus cum *Pacuvio* oderat

——homines ignava opera & Philosopha sententia.

Nihil enim fieri posse indignantius neq; intolerantius arbitrabatur, quàm sapientem rerum humanarum indeptis honoribus otio marcescere ignavum & desidem, aut inani speculatione tempora rerum gerendarum consumere: oportere eum versari exerceriq; in rebus cominus noscendis periclitandisq;, eaq; omnia acta & eventa firmiter meminisse, & perinde sapere & consulere ex iis, quæ pericula ipsa rerum docuerunt. Ἀδύνατον δὲ καλῶς πράττειν τοῖς μὴ τὰ καλὰ πράττουσιν, ut Philosophus monebat. Hinc palmarium omnis operæ atq; laboris fuit, ut Spartam quam nactus erat, pro virili egregiè ornaret: qua de re scrutandis doctorum scriptis noctes diebus jungebat heluo librorum avidissimus, quò publice docendo & disputando privatisq; exercitiis studiosam juventutem egregie juvaret, dubitationum nodos expeditè solveret, obscura & perplexa dilucide explicaret, falsa solidè refelleret. Nihil enim observatione & memoriâ dignum in mentis suæ penetralibus abstrusum servabat, quod non cum curiosis auditoribus liberaliter & sine fuco communicaret: ita tamen, ut non minus ægrotis, qui consilium ejus implorabant, salutares manus porrigeret: ut inclutæ

Academiæ insigni honori, studiosæ juventuti magno emolumento, suis firmo præsidio, ægris præsentaneo auxilio toto illo Ducatu vicinarumq; provinciarum districtu esset, nomenq; MEIBOMII late se explicaret, & in oculos, in aures, in sermones, hominum se diffunderet.

A. *Providit ille maximus mundi parens,*
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna semper sobole repararet nova.
Excedat agedum rebus humanis Venus,
Quæ supplet ac restituit humanum genus,
Orbis jacebit squallido turpis situ.

Venerat jam MEIBOMIUS ad annos plenæ maturitatis, & se studiis perpetuis districtum rei familiari curandæ imparem fore, nec majus probis quàm ex matrimonio solatium esse, & revertentibus post laborem maritis vix honestius dari, quàm uxorium levamentum, cum *Valerio Messalino* judicabat: præcipuè verò divino instituto parendum ratus, consiliô Parentis *ELISABETHAM AVERBERGIAM* virginem, splendidis natalibus ortam, nec minus pudicè ac benè educatam Annno 1622. 13. Octobr: *Helmæstadii* matrimonio sibi junxit: in quo vixerunt conjuges magnâ concordiâ, per mutuam caritatem, & invicem se anteponendo; & quod singularis exempli

 foemi-

fœmina rem familiarem exquisitissimè dispensaret, in partem educationis liberorum veniret quàm libentissime, & molestias tota die medenti occurrentes, atq; animo conceptas, voce, vultu & officiosis blandimentis abstergeret. Nuptiæ vero ut solennes fuere quinq; Principum & duarum civitatum legatis præsentibus; ita nec sterile, nec improsperum, conjugium observatum. Nati MEIBOMIO decem liberi: *Joannes Henricus, Joannes Gerhardus, Dorothea Elisabetha, Sophia, Anna Sophia, Maria, Anna Rosina, Catharina, Henricus* & *Joannes*, Quorum *Joannes Henricus, Joannes Gerhardus* & *Joannes* itemq; *Anna Rosina* primis infantiæ annis vita concesserunt: *Dorothea Elisabetha* luculento matrimonio elocata *Joanni VVerlhovio*, civi nostræ Reipublicæ primario, atq; exquisitis animi & fortunæ bonis Ornatissimo. Secundò genita, *Sophia*, nuptum data *D. Georgio Reichio*, Reverendissimi Celsissimiq; Principis, Divi *JOANNIS, Episcopi Lubecensis, Ducis Holsatiæ* Medico Aulico: in cujus laudem multa proferre animus foret, nisi hominem præsentem atq; intimè amicum in os laudare verecundarer. Harum matrimonio avus factus noster, trium scilicet nepotum duarumq; neptium: quem & fatali lecto affixum, & suprema jam meditantem maxima filia-

rum

34

rum *VVerlhovia*, facili partu soluta, auctum nepote admodum hilaravit. Tres reliquæ defuncto parenti superstites probitate, pudore, rei familiaris accurandæ solertiâ, omni exemplo talium virtutum emendatiores, in acerbissimum luctum conjectæ, Laudatissimo nostro Magistratui materiam benè de se merendi præstant amplissimam. Superat filius unicus, paternarum virtutum non ignavus hæres, HENRICUS, felicis ingenii & summæ expectationis juvenis, propediem ultimâ voluntate parentis ad *Academiam Juliam* continuandorum studiorum abiturus: qui ut non vanè auguror, brevi faciet, ut quemadmodum nunc noscitatis in eo patris aviq; similitudinem oris vultusq; & lineamenta corporis; ita ingenii, fidei, eruditionis rarissimæ, virtutisq; exemplum expressam ad effigiem vobis reddet, ut revixisse aut renatum sibi quisq; magnum MEIBOMIUM dicat.

Matrem charissimam Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, vigesimo tertio *Martii*, solenni funere MEIBOMIUS extulit, & Parentem paulò post magnô jam natu, in ipso scilicet vitæ humanæ constituto termino septuaginta annorum. Ipse tum Magnificus Academiæ Rector domestico vulnere graviter ictus: quod intra quadrimestre utriq;

parenti

parenti & duobus liberis justa faceret. Quos casus neq; , ut pleriq; fortium virorum, ambitiosè, neq; per lamenta rursus muliebriter tulit, & in luctu studia privatiq; ac publici officii labores inter remedia erant. Eodem verò anno cum ingenti bello per Germaniam late fulminarent *Tillius* & *VVallensteinius*, terrorq; etiam Musas Julias percelleret, cunctis prope ad loca tuta se recipientibus, postremus omnium, quod non modo Facultatis Medicæ Decanus esset, sed & Prorector Magistratum Academicum administraret, *Serenißimi Principis Guelfici* permissu ad Socerum *Joannem Averbergium*, JCtum, *Ill:mo Duci Megapolitano* à consiliis, tum Cancellariæ Directorem, *Suerinum* se contulit: ubi & integrum annum commoratus diu latere non potuit, fortunâ subscribente industriæ atq; ingenio, quod ei natura pulcherrimum dederat : ut fama eruditionis suæ radios per universam provinciam latè vibraret. Cæterum eadem fatalis belli clades cum vicinam Megapolin opprimeret, *Lubecam* properavit, rebus suis, quàm fieri liceret, commodissimè consulturus; memorabili exemplo: catholicas regnorum calamitates aliis gentibus & provinciis sæpe incremento fuisse, & doctis non rarò feliciter cessisse suas miserias, ut quæ occasionem dederint

majoris

majoris gloriæ & ingentium divitiarum. *Zenonem* præcipuū ac primum *Stoæ* Doctorē, naufragium ad Piræum in porticum ejecit, & pretiosissimæ mercis jactura ad philosophandū excitavit: qui tum secundis ventis se navigasse testat⁹, quando naufragium fecisset. *Byzantium* & *Græcorum* Imperium desolatum eruditis viris auxit *Italiam*, & *Theodorum Gazam*, *Chrysoloram*, *Georgium Trapezuntium*, *Joan: Argyropylum*, *Chalcocondylen*, & *Lascarin* dedit, viros eximios & doctos, ac pellendæ barbariei, quæ totam *Europam* occupaverat, in primis satagentes.

Excepere MEIBOMIUM benignè admodum Reipublicæ nostræ Proceres, omniaq; gratiæ, amoris ac benevolentiæ studia ei detulere, gratulati sibi de tam egregio hospite, quem sibi suisq; civibus consiliô & re profuturum sciebant: quemadmodum & Amplissimi Magistratus judicium amplexati cives flagrantibus studiis, & quasi quadam contentione, ambire ejus amorem, in rebus gravibus, quæ ad valetudinem attinebant, eum consulere, nullumq; humanitatis aut officii genus prætermittere, quô gratiam se inituros confiderent. Viciniquoq; Principes famâ MEIBOMII exciti propositis amplissimis præmiis eum accersi ad se curarunt, cujus operâ in difficillimis morbis uterentur, mirati sin-

gulares animi dotes & excellentem eruditionem, magnâ experientiâ confirmatam, nullo cum fastu aut ostentatione scientiæ conjunctam, cunctaq; minora publicis rumoribus, qui in novis & incertis rebus plerumq; valescunt. Nec minore studio adsitarum provinciarum Nobiles occupati erant, ut MEIBOMIUM maximis quibusq; morbis medendi adhiberent, cæteriq; ad exemplum magnatum numerosi ad eum confluebant, tanquam ad oraculum aliquod Delphicum aut Ammonium, aut si quod aliud scriptis nobilitavit antiquitas: quod successus actiones fere fortunaret, &, quod in *Gratiano* Imperatore laudabat *Ausonius*, faciles interpellantibus præberet aditus, nec de occupatione caussaretur: ut non immeritò gloriari potuerit, quod olim *Ennianus* ille *Apollo*,

——— A me omnes boni consilium expetunt,
In negotiis incerti: quos ego ope mea ex
Incertis certos compotesq; consili
Dimitto.

Magistratus quoq; noster, ut tantæ existimationis medicum vadaretur, sublatô è vivis *D. Jacobo Martini*, Physico nostræ urbis primario, honorato proposito salario, Archiatri munus offerri MEIBOMIO curavit: quod tamen, sacramento *Academiæ*

Juliæ

32

Juliæ, & ſtipendio Duci Guelfico obligatus, &, quod factâ pace Lares Julios repetere perpetuò animo verſaret, ſuſcipere honeſtiſſimè recuſavit. Quemadmodum nec *Archiepiſcopi Bremenſis*, DN. FRIDERICI, curam valetudinis & Archiatri officium in ſe recipere voluit, etſi *Theodorus Langius* luculentum in ſingulos annos ſtipendium nomine Principis ſui polliceretur.

Fata deſtinaſſe magnum hunc Virum noſtræ Reipublicæ videri poterant: eâdem enim Archiatri functione morte *D. Molleri* vacante, Senatus pro ſuâ officiosâ & paternâ curâ ac ſollicitudine occaſionem non negligendam ratus conſilia agitabat, ut officium pridem delatum MEIBOMIO denuò offerretur: quod exemplô *Athenienſium*, & more majorum, benè merentibus, & quos eruditionis fama celebraret, diſpenſare officia obtineret: hunc vero non modò rei pharmaceuticæ gnarum, ac impigrũ cui cui civium paratiſſimum eſſe; ſed & pro accurato judicio, multâ & ſingulari eruditione, variis jam ſtipatâ experimentis, controverſiis medicis, ſi quæ obreperẽt, aut aliunde proponerentur, ac caſibus dubiis ſolvendis & enodandis, publicæ item incolumitati, quà valetudo conſervari, omnisq; noxa caveri aut propelli poſſet, aptiſſimum & neceſſari-

um intelligeret. Noster igitur (resignato prius professorio munere, & ægrè, sed clementi, impetratâ dimissione: quod invitus magni nominis Virum exauctorare, & tamen turbatissimis Patriæ rebus ejusdem commodis adversari *Ser:*[mus] Princeps nollet,) iteratam gratiam repudiare, & Deo, qui eam mentem Senatui inspirasset, repugnare noluit; hanc urbem commodissimam arbitratus, in qua, aliis dignitatibus neglectis, quod vitæ restaret, quietus absolveret, & in ejus aliquando gremio vitæ atq; annorum satur & laboribus fessus placidè obdormiret.

Scriptum annalibus MEIBOMII lego, *Adamum Henricum Pentzium*, Aulæ præfectum *Ser:*[ma] *Reginæ, Viduæ Gloriosissimi Regum Sueciæ, GUSTAVI ADOLPHI* (cujus aureæ, sed funebri, Coronæ sequentia disticha MEIBOMII inscripta leguntur

VIRTUTI ET GLORIÆ
S.

Libertas & Relligio; victricibus armis
Adsertæ & fidi sanguinis effluvio,
Hanc Tibi, Rex Regum, donant, GUSTAVE, coronam:
Æternam fidei Jova dat ipse Tuæ.)

per

per literas egisse, ut amplissimo stipendio Archiater Reginæ MEIBOMIUS constitueretur, additâ promissione similis muneris apud *Ser.^mam Filiam* impetrandi: quemadmodum & paulo post *Henricus Rantzovius*, *Toparcha Schmolæ &c.* Heros inlustris & Consiliarius Regius, promisso mille sexcentorum Joachimicorum annuo stipendio, aliisq; Regiæ munificentiæ donariis, de surrogando nostro in locum *Arnisæi*, Medici Regii Danici, strenuè egit. Cæterum intra fortunam suam MEIBOMIUS manere maluit, quàm summa rerum experiri, fallacis aulæ fulgori fidere, atq; inter præcipuos ministros & familiares Regum apparere,

——————Cum levis magnas opes
Huc ferat & illuc casus. Scilicet
Ut alta ventos semper excipiunt juga,
Rupemq; saxis vasta dirimentem freta
Quamvis quieti verberant fluctus maris,
Imperia sic excelsa fortunæ obiacent.

Quin & Principem mortalem, Rempublicam esse æternam, sciebat, atq; illô sublatô, aut nullis sæpe caussis infensô, in cassum cedere omnia merita; cuncta in aulis fieri infesta, ipsosq; ministros quàm fidissimos aliorum invidiæ, calumniis, odiis, expositos

non raro maximè periclitari. *Nero Senecam* familiarem præceptoremq; suum ad eligendæ mortis arbitrium coegit: *Papinianum* diu inter aulicos potentem militum gladiis *Antoninus Caracalla* objecit. Atq; uterq; potentiæ suæ renunciare voluerunt; quorum *Seneca* opes etiam suas tradere *Neroni*, seq; in otium conferre conatus est; sed dum ruituros moles ipsa trahit, neuter, quod voluit, effecit. Quæ est igitur potentia, inquit porrò *Boethius*, quam pertimescunt habentes, quam nec cum habere velis, tutus sis, &, cum reponere cupias, vitare non possis.

A. *Stet quicunq; volet potens*
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio:
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebejus moriar senex.
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur sibi.

Attigit

30

Attigit tamen quandoq; aulas MEIBOMIUS, curandorum Principum urbe evocatus; ita tamen, ut, quod de Elephantis memoratur, urbe avelli se non sineret, nisi brevi illò se reductum iri pacisceretur. Inprimis vero charus fuit Rev:mo Celsissimoq; Principi *JOANNI*, Episcopo Lubecensi, qui eum semper quasi in oculis gestavit, parario tanti amoris *Christiano Cassio*, JCto, & intimæ admissionis supremo Consiliario: nec minus Principem noster veneratus fuit, maximum suum literatorumq; Euergetam, anxius dubiæ valetudinis: quam, sonticis morbis prægravem, non semel eripuit: fatali utriusq; conditione, quæ Dominum ac ministrum sibi diu superstites esse non permittebat.

Qua vero fide, studiô, curâ, labore atq; industria 26. annos Physicatũ MEIBOMIUS gesserit, & quæ decora laudum animum exaggerarint, arduum est dicere: quod vastissima se offerat sylva, ex qua virtuti ac memoriæ monumentum statuere debeo: ut quid primò, quid deinde, quid postremò proponendum, aut de qua re deniq; disserendum sit, convocato in corde senatu consiliario explicare non valeam. Dicamne prius de curiosa & exquisita medela ægrotantium, qua acie intellectus abdita morborum penetrabat, & quid utile, quid necessarium,

quid

quid acceptum deniq; ægrotis foret, maturo consilio decernebat? at ingens infirmorum numerus, qui eum tantùm non obruebant, interpellare videtur accuratam morborum cognitionem, & medendi operosam industriam; nec tantum vacare licuisse occupatissimo, & nunquam fere otioso. Quod si ejus comitatem, insignem apud ægros gratiam atq; authoritatem honoratam magnificare velim, diversas illas & plurimùm distantes virtutes simul concurrisse meritò quis mirabitur. Et studia recolenti, & scripta, quæ in publico prostant, aut abstrusa latent, versanti ἀδύνατον fere, & supra vires mortalium, videtur, hominem adstrictum catenatis atq; ærumnosis laboribus animum adhibere potuisse studiis, taliaq; penu eruditionis promere, quæ otium literarium multò maximum requirant.

Placet tamen pauca delibare ex infinito laudum cumulo, quæ in rem præsentem præcipuè facere videbuntur. Suberat MEIBOMIO insignis animi vigor, ingentibus negotiis par, ingenium inlustre & excellens: firma & stabilis memoria, judicium acre atq; accuratum: ut simul in eo contendisse istas animi dotes credam, nec facilè dari exempla doctorum, qui eas omnes sic in numerato habuerint: accessit cultura exquisita ingenii à primis cunabulis,

diligens

diligens ſtudium & converſatio cum medicis do-ctiſſimis, quorum auſpiciis dudum medicinam periclitatus fuerat: præterea laborum patientiſſimus erat, ut qui nullas detrectaret moleſtias, quæ divino honori & proximi commodis impenderentur. Hinc promptum ei paratumq; erat, rimari penitus morborum naturas, cauſſas, eventa, & curationem ſuam cuiq; morbo convenientem adhibere: ita tamen, ut *Argi* inſtar quæq; diligentiſſimè luſtraret, & ad rigidam judicii lancem expenderet, ne quid negligeret, aut temere patraret, quod ægroto noxiæ eſſe poſſet, neu ad inconſiderantiæ excuſationem venire cogeretur. Oderat conſilia audacia primâ fronte læta, tractatu dura, eventu triſtia: qui ſic inſtituendam curationem noverat, quaſi ſub ludimagiſtro, cui omnium dictorum factorumq; exquiſita conſtare debeat ratio: & quod prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium eſſe non debeat.

Quid dicam de ſingulari morum gratiâ, quâ ad amorem ſui pleroſq; invitabat aut trahebat, non blanditiis aut fœdis adulationibus, quæ, indecoræ Viro docto, ad muliebre ingenium efficaces preces ſunt, & peſſimum veri affectus venenum. Oderat noſter adulationes, &, reginam artium, medicinam,

Deorum inventum existimatum, cui Reges & Principes operati fuissent, & quæ Regibus ipsis, confessione *Theodorici Regis Gothorum* Maximi, majori licentia imperet, quam hi in subditos utantur, alieni arbitrii servam, & mancipium libidinis muliercularum, facere nolebat. Cum collegis pacem sedulò colebat; non minus ab omnibus & singulis honoratus. In conversatione familiari suavis & verborum gratia ac venustate, quæ sale pruriente condita esset, concinnabat conventus amicorum, ac eruditis sermonibus (næ quantum!) oblectabat præsentes, ut qui admirationem sui concitaret, & discedens desiderium & titillationem post se relinqueret. Compellaturis præceptô *Hippocratis*, qui φιλανθρωπίην in medicô requirebat, facilis erat, vultu sereno, verbis comis, animos dabat consulturis, & fido consilio juvabat, quantum per morbi rationem licebat; ut nec improspero curationis eventu eundem suggillarent, &, si votis responderet medela, tamquam alterum *Æsculapium*, quô se pristinæ sanitati sciebant restitutos, venerarentur.

Peculiaris, non tamen austera, gravitas temperabat amœnitatem illam, ut nec intempestivis ægrorum precibus annueret, nec horrida severitate animos eorum exasperaret, aut dolorum & symptoma-

ptoma-

ptomatum truculentiâ conficeret: ita inter abruptam contumaciam ac deforme obsequium pergebat iter ambitione & periculis vacuum. A fastu quam alienissimus erat, quem nec verbis, vultu, aut exteriore habitu præ se ferebat; (cujus vos omnes, *Auditores amantissimi*, testimonium mihi perhibere poteritis) ita tamen, ut vili atq; abjectâ sorde atq; intempestivâ parcimoniâ se nec defraudaret, nec contemptum sui caussaretur: quotiens convivabatur splendidior magis, quam parcior visus, & in subitariis cœnis, quas amicis ad se venientibus dabant, epulæ nitorem magis, quàm ambitiosum apparatum referebant.

Studiorum amor adeo MEIBOMIUM inflammaverat, ut quamprimum laxandi animi levis quædam intermissio laborum daretur, libris inhæreret, & crescentibus annis desiderium literarum augeretur. Extant operum ejus monumenta præclara & plenissima multifariæ doctrinæ & lectionis: quæ ut vivo famam nominis clarissimam meruere; ita mortuo eandem ab interitu & gratæ posteritatis oblivione vindicabunt: *Liber commentarius in Jusjurandum Hippocratis*, *in vitam Mæcenatis* alter: doctæ profectò operæ, raræ & politæ! *De flagrorum in re veneriâ usu* scriptum multo sale ac venustate

De Theriacâ Andromachi nobilis exercitatio. Reſtant *Commentaria in Cælium Aurelianum, de Vitis medicorum inluſtriũ, de Ebriaminibus*, aliaq; digniſſima, ut lucem propediem videant, nec expectationẽ doctorum diutius fruſtrentur; quod jam ultimam manum pleraq; viderint: quamvis hæc aliaq; non dum penitus elaborata in certum tempus occultari noſter juſſerit. Sed nec magno jam natu quidquam à ſtudiis remiſit: quin in extremo ætatis, & quotiens contracta articulorum debilitas pedum officio eum uti non permitteret, impigrè ſtudiis vacabat: ut ſæpe vererer, ne, corpore morbi diuturnitate, ingraveſcente ætate, laboribusq; aſſiduis affecto & invalidô, vires penitꝰ prodigeret, & pro mutuo noſtro & ſingulari amore cum non rarò commonefacerem, abſtineret ſe paulò ſtudiis, & quieti daret, aliisq; animi ac corporis laxamentis oblectaret ſe ac reficeret. Subriſit MEIBOMIUS, &, turpe ſibi fore, reſpondit, ſi currentem in ſtadio & metæ vicinũ ſe morari vellet, nec ſentire ſe in animo ætatis injuriam, & hæc literarum ſtudia vera oblectamenta eſſe, quibus animum ſine interpellatoribus vergente ſenecta recrearet: adeo ut animi cultus ille, quod de *Phalereo Demetrio* lux doctrinarum & eloquentiæ pręcipuus teſtatus, ei eſſet quaſi quidam humanitatis cibus.

Nullus

Nullus huic nostro *Senecæ Lubecensi* per otium exibat dies, partem etiam noctium studiis vindicabat, ut non vacaret somno, sed succūberet, & oculos vigilia fatigatos cadentesq; in opere detineret: posterorum negotium agebat, ut illis aliqua, quæ possent prodesse, conscriberet. Et quid melius, *A. Incluti*, quàm in mediis vitæ laboribus obdormiscere, & sic conniventem somno consopiri sempiterno?

Omnium vero bonorum, quibus profusissime eum divina benignitas mactaverat, authorem Deum MEIBOMIUS agnoscebat: ad cujus honorem, ceu ad cynosuram nautæ, & proximi commodum cursum actionum suarum dirigebat, non fictâ pietate eundem veneratus, eoq; sinceriore cultu, quo minus pietatem ostentaret. Hinc domi illa severa disciplina, ut primis annis verum cultum liberi induerent: ipse exemplo suis erat, nec quid dictu visuq; obscœnum per familiā aut alios transire limina domus sinebat, charissimâ conjuge in eandem curam domesticæ disciplinæ conspirante.

Frequens aderat sacris concionibus, nisi si sonticis caussis, quæ in tanta praxi necessariò multæ erant, invitus abstineretur, magnaq; devotione sacro sancto Eucharistias Sacramento fruebatur, & in ipso quidem peremptorio morbo tanta con-

testatione εὐθυμίας atq; lætitiæ signis, ut cunctis in melius mutari morbus, ille, receptô Deô, cælo se reddi videretur. Cæteroquin non inani verborum jactantiâ religionem profitebatur, vitam propriam & totius familiæ ad leges divinas conformare studebat, acerrimus censor perversissimæ cacozeliæ, quæ novissimis temporibus plures occupavit atq; evertet.

Exciderat animo amaras radices avaritiæ, nec quisquam deferre eum fœdi hujus criminis, nisi injustè, poterit, exigendo sostra impensæ curæ fuisse acerbum, aut gemmatis fictisq; & inanibus secretis suam onerasse conscientiam, atq; in alienas opes grassatum: quales vulturii & noctuæ ad aucupia crumenarum, ut facetè eos noster nominavit, credulos magnates & imperitum vulgus circumducunt passim & pecuniâ πρoμύσσουσι. Pauperes juxtaq; divites pari fide curabat, horum prudenti arbitrio redhostimentum laboris recepturus; illis gratuitò serviebat, impetraturus multò maximam mercedem, gratiam divinam, quæ cæteras actiones prosperaret, & tandem cælo receptum æternùm bearet. Remedia etiam, quantum per morbi ac temporis rationem licebat, festinare malebat, quàm segni negligentia curationem prolatare, ægrumq; turpis lucelli

celli gratia lecto diutius attinere: nec prece nec pretio venalem cujus cujus vitam habere, & δηλητήριον aut φθόριον dare, voluit.

Quantum vero quisq; religione profecerit, & qua fide & voluntate maximi Imperatoris signa secut⁹ fuerit, tum demum se proferet, cum novissimus & peremptorius hostis vocaverit ad certamen: ut *Lucianus* meritò riserit Philosophos, totâ vitâ μελέτην θανάτου professos, ultima hora præ cæteris trepidare, atq; animum despondere. Disputationes certè & literata colloquia & ex pręceptis sapientium verba collecta, & eruditus sermo non ostendunt verum robur animi. Est enim oratio etiam timidissimis audax: quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages. Et profecto magnus noster MEIBOMIUS maximorum, cumprimis sanctissimorum, virorum exemplô ita se ad mortem componebat, ac si cenam quandam relicturus esset, nulla animi commotione, nullis tristitiæ signis, quam undantes suorum lachrymæ excitare poterant, sed forti, constanti & læto, animo opperiebatur novissimam horam, ut qui portum omnium malorum, requiemq; laborum se inventurum, & in ipsô limine melioris vitæ constitutum jam videret.

Multis

28

Multis abhinc annis occœperat noster conflictari morbo articulari, viſcerum intemperie & debilitate fœtâ generatione ſeri; quam præter graves labores, intempeſto aere ſuſcepta itinera, ſtudia in ſeram noctem producta, exhauſto calore nativo, cerebroq; φροντιστηρίῳ aſſiduis meditationibus infirmato (ut ſic affecto, arbitrante C. Celſo, ne cogitatio quidem poſt cœnam tuta ſit,) augere poterant. Dabat quidem intervalla dolor acerbiſſimus, ſed qui majore cruciatu aliquando recrudeſceret, confirmatâ jam debilitate perpetuo acrioris ſeri proventu, & partibus extremis allapſu crebrô humorum ac dolorum atrocitate invalidis: quæ alias pronæ recipiendo humori, quotiens viſcerum inſitus calor ebullitione ſeri facta illò ſe exoneraverit, ut nec priſtinam reciperare valetudinem, nec pedum miniſterio commodè uti poſſet, Malum profectò Optimo Viro moleſtiſſimum, (ut qui compedes iſtos non niſi longo poſt tempore exueret) ſed quod magnam occaſionem daret ingenii monumenta proferendi: quòd otii impatientiſſimus cum ob confirmatam pedum imbecillitatem foras prodire non liceret, totum tempus tractandis ſtudiis libriſq; ſcribendis impenderet. Cum vero progreſſu temporis morbus altius radices ageret, & ipſa ſenectus, licet cruda,

ſi

ſi annos ſpectemus, oneriforet, natura expellendæ materiæ factâ imbecilliore, catarrhi ferini caput thoracemq; ſæpius inundarunt, ut ante paucos annos metus foret, ne, firmato in capite malo (quod niſi extremis remediis levari tum poterat,) apoplexiâ aliove capitali affectu abriperetur. Quin & 6 aut 7. ante beatiſſimum obitum ſeptimanis iidem dolores conſueta loca repetere videbãtur, poſtquam jam multo tempore catarrhus pectus oppleverat, & cerebrum, quantum noſter expectorando quot diebus vacuaret, tantum continuo ſeri defluxu refunderet: ſed natura derivandæ materiæ ad extrema corporis impar facta, quamquam ſæpius, ſed irritô conatu, id facere tentaret, & cætera ſatis valida appareret, ſenſim morbo ſe ſubmiſit. Hinc rivi ſeroſi humoris in fauces & pectus continuo ruere, illasq; exaſperare, hoc anguſtare & ſtringere, hypochondria referta pravis humoribus in perniciem ægri conſpirare, noxiosq; vapores exhalare, qui copia & mala qualitate anhelitum difficiliorem redderent.

Nec ſatis malorum erat, niſi & apoſtema ad fauces & palatum ſitum omnem cibi potusq; liberiorem deſcenſum fere interciperet, ut nec quicquã niſi magno cum cruciatu ſuſtinendo corpori æger demitteret. Quàm ego magni Præceptoris *Galeni*

exemplô sæpius nostro arthritidem ad pristina loca detonare optavi quod partes nobiles inde exoneratum iri, ægrumq; consueto ac familiari morbo magis ferundo fore confiderem! Cæterum in cassum cessere vota, nec quicquam levatus morbus; quamvis cuncta remedia, quæ ultima memoria repeti, atq; æger admittere posset, à me generoq;, accito semper consilio ægroti, adhiberentur: sola documenta singularis patientiæ, vitæq;, ad extremum usq; momentum laudabiliter actæ, & finitæ, nobis relicta, quàm ille patienter violentiam effrænati doloris sustinuerit, quàm piè durante morbo se gesserit, quàm fortiter atq; apertis oculis venientem mortem exceperit.

Nullos ejulatus, nullas complorationes, ne ullas quidẽ voces indecoras, edebat, etsi doloris acerbitas eum aliquando cogeret invitũ ad gemitus cõpressos, confiteriq; de atrocitate sævientis doloris: & facere, & pati fortia, non tam Romanum, quàm Christianum censebat. Quod si truculentia symptomatum, maximè vero ventris dolor, & præfocans respirandi difficultas, illum graviter afficeret; noster vero fatalem horam adhuc longius abesse intelligeret, Deum tolerantiam tantorum malorum unicè precabatur, ne diuturnitate ac sævitià dolorum attritus mollior

animo

24

animo ſuccumberet. Magni ſemper æſtimaveram, A. *honoratisſimi*, MEIBOMIUM, cujus converſatione ſummâ cum jucunditate fruebar: cum vero extrema imminerent, tum ſolitô mihi auguſtior viſus, quod animus corporis incurioſus, & jam liber, nil populare, nil vile aut abiectum verſaret, aut proponeret: pauca, ſed ſignificantiſſima, & plena ſapientia loquebatur, quę ſublimitatem cogitationum teſtarentur, &, digna perpetuò meminiſſe, adſtantium animos non leviter afficerent & moverent.

Quantâ vero conſtantiâ capitalem hoſtem opperiebatur! non illum lachrymæ conjugis aut liberorum, non aliæ graves cauſſæ ad deſideria retinendæ vitæ provocare aut invitare poterant: quin potius ſerio illos monebat, exuerent animo triſtitiam, nec ſe nihil profuturis lachrymis ac ærumnis macerarent: hanc eſſe naturæ legem, ut, quod natum ſit, aliquando moriatur: non ſemel eorum planctus exaudiviſſe Divinam Majeſtatem, atq; morti vicinum reſtituiſſe in integrum: percipere ſe jam cæleſtis voluntatis decretum: quô mori juberetur; idq; ſe facturum animo compoſito atq; obœdientiſſimo: malum enim eſſe militem, qui Imperatorem ſuum gemens atq; invitus ſequatur.

 Hinc

Hinc, abdicatâ omni curâ rerum caducarum, & supremâ salute Uxori, liberis generisq;, porrectâ singulis manu, nuntiatâ, totus se vertit ad cælestium contemplationem, Deoq; gratias, quas poterat animo concipere, maximas egit, pro ingentibus beneficiis, quibus se indignissimum totâ vitâ cumulatissime exaggerare voluisset: confessus gravissima delicta, quibus S.S. Majestatem totiens offendisset, confugiebat ad præsidium Divinæ gratiæ & misericordiæ: suum ut hominis fuisse peccare, solius Dei jam fore, misereri: prætereaServatorem generis humani in ore, in oculis, in animo habebat, cujus sanguine innumera delicta sua expiari precabatur: quem etiam voce, vultu, gestibus anxiè desiberabat, quasi præsentem extensis brachiis totiens amplexurus.

Placet novissima verba, quibus eum compellandum duxi, cum jam fatalis hora instaret, & mori certus esset noster, ni grave ac molestum vobis fuerit, referre. Sursum corda ad Dominum Deum Ecclesia levare jubet: sursum & te vocant initia tua Excell:[mi] MEIBOMI: nosti quantâ sollicitudine, studiô atq; industriâ in variarum rerum cognitione occupatus hactenus fueris, quàmq; intellectus noster non in divinarum modò, sed & naturalium rerum & quæ ante pedes sunt, scientia caliget: namq;

Mens

Mens cæcis obruta membris
Nequit, oppreſſo luminis igne,
Rerum tenues noſcere nexus.

Imminere, dixi, illam corporis diſſolutionem, quæ animum liberet atq; ſuæ ſpontis faciat: ut hic merito habeat, quod gratuletur ſibi, cum emiſſus tenebris, in quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexit, ſed totum diem admiſerit, & redditus cælo ſuo fuerit. Exues, Amice, omnem infirmitatem, nec te præfocans ſeri copia totiens impoſterum ſtrangulabit, nec tenelli atq; affecti corporis artus crudelis ille tortor, ingens dolor, amplius cruciabit. Noſti, Vir Excell.me, beatitudinem ſummumq; bonum in contemplatione rerum divinarum locaſſe ſapientes: animus tuus non in cæli, ſiderum, aliarumq; ſcientiarum conſideratione occupabitur, ut quæ infra dignitatem ejus jam, poſita: ſed relictis corporis exuviis, radiatus luce divina aquilæ adinſtar, quæ Solem intrepide tuetur, ſanctiſſima cum veneratione Divinam Majeſtatem contemplabitur, Deoq; ſimilis, atq; intelligibili excellenti propoſito ſe ipſo inluſtrior factus, & in contemplatione ſummi boni occupatus, Deum tibi, ac te Deo, uniet. Subjunxi ex Boethio,

Da Pater augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da, luce reperta,
In te conspicuos animi defigere visus:
Disjice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atq; tuo splendore mica: tu namq; serenum,
Tu requies tranquilla piis.

O præclarum illum diem, quo ad illud divinum animorum concilium cœtumq; proficisceris, & ex hac turba & colluvione discedes, purissimis mentibus, sanctis Patriarchis, Regibus, Prophetis atq; Apostolis, tuisq; dilectissimis postliminiò redditus atq; intra sedem beatarum mentium receptus.

Hæc, aliaq; ex D. *Bernhardo* cum morituro in mentem revocarem, offendi eum non modo integrum rationis omniumq; sensuum dicta quæq; exactissime intelligere, sed & plenum jam Deo flagrare totum desiderio sempiternæ vitæ, satisfacere naturę debito & exauctorari cupidũ, atq; esse cum Christo. Nec vota Divini Viri inania fuere: paulo n. post (cum mihi necessario abeundum esset, & actis gratiis amplissimis pro tot tantisq; in me collatis beneficiis, quorum memoriam non nisi cum vita deponam, Divinæ benignitati eum commendarem; ille verò infinitas redderet gratias, cuncta prospera à Deo precatus) XVI. Maji inter preces atq; lachrymas

ad-

adſtantium, placidè, quaſi ſomno ſolutus, expiravit.

Paſſa profectò *A. Incluti* civitas noſtra exceſſu MEIBOMII, ſummo ingenio exquiſitaq; doctrina Medici & Philoſophi, grave damnum: cum, ut loquebatur medicinę Parens, οὐ τοὺς πύργους, οὐ δὲ τὰ τείχεα, ἀλλὰ τῶν σοφῶν ἀνδρῶν σοφὰς γνώμας robora atq; decora eſſe rerum publicarum ſciamus, & quod parem forſan nunquam, vix ſecundum ab eo, habituri ſimus medicum. Quis enim omnes & ſingulas animi exquiſitas dotes ipſasq; virtutes in plenâ adeo poſſeſſione habuit, ut adornando ejus ingenio ſimul conjuraſſe aut contendiſſe videantur? MEIBOMIUS.

Quis in ipſo domicilio ac gremio Muſarum natus & educatus non unum Apollinem, ſed plures fama atq; eruditione Clar.mos Magiſtros habuit, & puer egregiis documentis editis tantam ſpem de ſe excitavit? MEIBOMIUS.

Quis tanto conatu tota vita ſtudiis operatus, ut ne quidem noctem ſolidam quieti concederet, nec ardor diſcendi in ſenectute remitteret, omnem omnium diſciplinarum cognitionem animo ſuo complexus? MEIBOMIUS.

Quis tantis obrutus laboribus exquiſita, rara & egregia ingenii monumenta æternum duratura literis conſignavit? MEIBOMIUS.

Adeo

32

Adeo non æmulandi ſed imitandi ſui inluſtre exemplum nobis poſterisq; propoſitum reliquit MEIBOMIUS.

Ipſa afflictiſſima vidua & mæſtiſſimi liberi ac generi perculſi acerbiſſimo caſu mortem chariſſimi Conjugis, ſuaviſſimi Parentis & Soceri inſolabiter lugent, & veſtro paterno affectui, Proceres Reipublicæ Ampliſſimi, ſolenni more, maximopere ſe commendant. Meminerint vero hi, caſum iſtum humanum eſſe, nihilq; ſine cæleſti diſpenſatione fieri: atq; optimum eſſe, pati, quod emendare non poſſimus, & Deum, quo authore cuncta eveniunt ſine, murmuratione comitari: præterea Deum uſuram nobis vitæ dediſſe, tanquam pecuniæ, nulla præfinita die, nec habitandi ſed commorandi diverſorium nobis eſſe conceſſum: ex quo ſerius, ocius, arbitrio divino evocamur, fataq; properantur nec opinaturis: quemadmodum politum illud ac nobile virtutum ſui ſexus exemplar, *Catharina Brandes*, Clar:mis majoribus genita, tua, Ampl:me Dn. *Roddi*, nurus lectiſſima, primipara, & in amœniſſimæ ætatis flore extincta, tumulo gentilitio hodie inferetur. Quin potius grato agnoſcant animo, noſtrum non modò publico, ſed & privato ſuorum egregio, tam diu ſuperſtitē fuiſſe,

fuisse, &,confecto curriculo vitæ, quod suavissimo Collegæ suo, *Hermanno VVesthovio*, non ita pridem evenisse vidit, metæ propiorem exanimatum.

In primis vero cogitent, Venerandum Senem ob crebram invaletudinem sibi ipsi gravem (quem paucorum annorum accessio nil juvare potuisset) liberum jam omni malo speculari cum admiratione & ineffabili gaudio cælestis gloriæ splendorem:

Nos vero, *A. Incluti*, magni hujus & eximii Viri memoriam sic veneremur, ut omnia dicta ac facta ejus animo sedulo versemus, famamq; & figuram animi magis quàm corporis complectamur: non, quod intercedere velim epitaphiis honoribus ac monumentis, quæ ligno, ære aut marmore finguntur: sed ut vultus hominum mortalis, ita & simulachra vultus caduca & suo tempore peritura, forma mentis cælestis & æterna, quam tenere & exprimere nulla arte aut materia, solà defuncti virtutum imitatione, liceat.

Quidquid gratum & decorum in MEIBOMIO amavimus, quidquid singulare & egregium in ingenti Viro mirati sumus, hæret adhuc, mansurumq; est, in animis hominum, famâ rerum, æternitate temporum.

DIXI.

EPICEDIUM
VIRO AMPLISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,
DN. D. JOANNI HENRICO MEIBOMIO,
Medico nostri seculi Inlustri
Archiatro Lubecensium incomparabili,
Amico desideratissimo & sine pari,
XXII. Maji solenni funere elato,
In publicô literatorum ômniumq; bonorum mærore.

Lugens scribebam
Paulus Neukrantz / Phil: & Med: D.

Testor ad hoc carmen me invitam arcessere mentem,
Invito calamo præsentes scribere versus;
Sic oculos lacrumæ fœdant, sic pectora planctus
Occupat, & densâ luctus caligine tristis
Mens hebet, attonitum cerebri mirata stuporem.
Maxime MEIBOMI, *decus immortale cohortis*
Pæoniæ (cui cuncta sui secreta theatri
Credidit, Hygeiamq; dedit disponere nutu
Phœbus, & Hyblæo paverunt melle tenellum.

Infan-

20

Infantem, lætæ circum cunabula, Musæ,
Ipsæ etiam Charites blandum risere jacenti,)
Quò ruis, & thalami lectissima pignora casti,
Conjugii & fidam sociam, haud miserate relinquis?
Incluta nec virtus, nec maxima fama per orbem
Sparsa tibi possunt properam tardare senectam?
Nec studii remoratur amor, nec multa tuorum
Ægrorumve tuæ succurrit gratia morti?
Nec quicquam conferre potest medicina salutis?
Non, si vel totis quærantur pharmaca thecis.
Visum aliter Domino, qui jussa capessere fortes,
Mandatis parere suis jubet Induperator;
Cujus & imperium generosa mente secutus:
Hic tibi jam requiem post tot tantosq; labores,
Et pacem æternam post acta pericula donat.
Indultum studiis satis est mæstisq; querelis
Ægrorum, queis sæpe dies te impendere totos,
Sæpe etiam memini vigilatas ducere noctes,
Immersum studiis teneras disperdere vires,
Anxium & ægrorum capiti non parcere caro.
Sursum te tua vota vocant, magnusq; Brabeutes
Emerito tribuit dignam pietate coronam,
Sanguineis undis CHRISTI meritôq; redemptam,
Cujus in amplexus vivens moriensq; ruebas.

Salve magna anima, in paucis dilecta JEHOVÆ,
MEIBOMI salve, decus excelsum addite cælo!
Namq; tua in terris ut posthuma fama coruscat;
Sic superos inter radias velut ætherius Sol.

HÆc maximi & eximii Viri honori atq; memoriæ consignare volui: quæ sequuntur epicedia, post funerationem ab Amicis ex Academiâ Juliâ tramissa, legi dignissima, & plena desiderii MEIBOMIUM versus, coronidis loco subjiciuntur.

ERgo nec ingenio nec famæ sæva pepercit
Vis mortis, dum Te rapuit celeberrime Doctor
MEIBOMI, mihi quem primis conjunxit ab annis
Suavis amicitia & sinceri fœdus amoris,
Quum Tuum apud Patrem, quem gloria magna vehebat
Propter & Historiam & mirandi carminis artem,
Comparibus ducti studiis ageremus uterque
Majori mihi tunc præcedere contigit: at nunc
Præcedis quamvis natu minor. O mihi si se
Sic hodie, ut quondam, præberet Musa benignam,
Qualis erat, quum nos florens conjungeret ætas,
Quantis carminibus celebrarem singula vitæ
Gesta Tuæ, dotesq; animi atq; insignia cuncta,
Quæ Te plerisque mortalibus antetulerunt.
Nunc friget senium, & facit ut sit frigida Musa,
Tantisq;, ut cuperem, cantandis laudibus impar.
Præcessisti ô amice; sequar Te quando vocarit
Qui maria & terras, qui cælum ac astra gubernat,
Quiq; habet in manibus nostras vitasq; animasq;.

Georgius Calixtus D.

Helm.

HElmstadj natus Musas MEIBOMIUS inter,
Postquam etiam Italicas & quas celeberrima Roma
Nutrit, adivisset, Domino adspirante reversus
Ad patrias, Phœbi ipsam hanc, ex quâ prodiit, arcem
Sic illustravit, sic ornavitq; coronam
Illam Doctorum, quibus inclyta Julia gaudet,
Ut sibi splendidius jubar haut optaverit unquam.
At postquam frenos furiis laxare Gradivus
Cœpit, & innocuas sævus Mars pellere Musas,
In magnâ & clarâ Lubecâ substitit urbe,
Non tamen his potuit quasi limitibus cohiberi
Magni fama viri, sed vastum erupit in orbem.
Et quamvis nulli docilis mors parcere doti
Falce suâ eximium demessuit improba florem,
Attamen haut poterunt tumulo condi aut sepeliri.
Ingenii fœtus, candor, labor impiger, ardens
Cœlitum amor, quem vitæ est integritas comitata.
Non lugere quidem nequit hunc tantum sibi ademtum
Urbs ingens Lubeca virum, non cultior orbis
Doctorumq; chorus, quondam hoc adamante superbus.
Mœsta gemit Conjux, carissima pignora plangunt.
Nemo tamen velit in miseram revocare beatum
Hanc mundi scenam, vel dissuadere quietem,
Quam solidam nunc largitur manus Omnipotentis. 35

Tumba tegit corpus, sed vivit fama superstes
Non unquam moritura, & spiritus arce receptus
Æthereâ ante Deum cælesti pace potitur.

Frid. Ulricus Calixtus
S. Theol. D. & in Acad. Juliâ
Professor.

EST locus, augustas ubi Princeps Guelficus olim
Musis aptavit restituitq; domos:
Ille Poetarum specimen prægrande fovebat
Phoebejo plenum numine, MEIBOMIUM;
Ille cothurnatum genuitq; Machaona, cujus
Antea non vidit Teutonis ora parem,
MEIBOMIUM, mirata fuit quem Oenotria tellus,
Quem stupuit doctis Gallia clara viris,
Ereptum furiis belli imperiale recepit
Lubecum, Codani fama decusq sinus.
Nunc utrumq; feri tulit inclementia fati,
Subduxitq; oculis, Munde maligne tuis,
Attamen haut orbi subtracta est enthea virtus:
Virtus sola mori nescia sola manet!

In memoriam Dn. Affinis
olim desideratissimi
apponebat

Henricus Hahn D.

Epita-

Epitaphium.

PHœbi ſacerdos; Æſculapii lumen:
Pullus Minervæ: Corculum Camœnarum;
Cui pectus ipſæ Gratiæ poliverunt;
Lybeca vivos plurimos cui debet:
Ab eruditis Ille ſic celebratus,
Tot monumentis ingeni datis luci:
Ille & meorum ingens amicus (heu!) quondam:
Docti parentis filius magis doctus,
MEIBOMIUS noſtras JANUS HENRICUS,
Animo repoſto ſedibus beatorum,
Iſthoc ſepulcro membra condier juſſit.
HAVE VIATOR, exprimens vel exemplum,
Vitam perennem comprecansq́ue defuncto.

Memoriæ V. C. & amici longe cariſſimi
F. Helmeſtadii

HERMAN. CONRIGIUS. D.
S.R.M. Sued. & Illuſtriſs. Oſtfriſior.
Principis Conſiliar. & in Acad.
Juliâ P. P.

ΕΠΙ-

36

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

Julia quem genuit, fovit mirata Lybeca,
Conditus hoc recubo marmore MEIBOMIUS.
Nullum me latuit ſapientum dogma virorum,
Pæonia nullis arte ſecundus eram.
Arcanum quicquid ſacro & velamine tectum
Grajugenæ jactant, quicquid & Auſonii,
Nec non & geſſere mei quæ Saxones olim,
Perſpecta ingenio cuncta fuere mihi.
Per me cognoſcit veri ſtudioſa juventus,
Quod Jusjurandum dixerit Hippocrates.
Per me Mæcenas toto jam claret in orbe.
Heroum per me prælia Rosla canit.
Jamque Machaoniæ Vitas deſcribere gentis
Urgebat ſeræ poſteritatis amor.
Interrupit opus mors invida. Sat tamen ingens
Nomen & æterna eſt gloria parta mihi.
Debetur terræ quicquid mortale creatum eſt:
Enthea ſed virtus interiiſſe nequit.

Memoriæ
Cl. & deſideratisſimi Viri
L. M. Q. Poneb. in Acad. Juliâ

Valentinus Henricus Voglerus
Phil. & Med. D. hujusq; P.P.

(o)